



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quandò contingit illa induitio Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Sic Fides in Christum, vestit & communicat nobis Christi iustitiam, & facit esse nostram. Et hoc est Christum spiritualiter induere, & se vestire operibus Christi. Hęc maxima nostra est consolatio, quòd habemus aliam iustitiam, sanctitatem, perfectionem, &c. scilicet Christi, quam Fides nobis facit propriam: in Christi ergo iustitia & merito confidimus contra peccatum, legem & Sathanam, non propria nostra iustitia & perfectione, quam Paulus vt stercora reputat, Philippens. 3.

Hęc Christi induitio fit in Baptismo, sicut ait Apostolus Gal. 3. Quotquot baptizati estis, Christū induistis: id est, bonorum Christi cōmunicationem accepistis. Vt ergo Christus diligitur à Patre, ita & nos propter Christum diligimur, & regni capaces ac hæredes efficiamur, Rom. 8. Quando igitur baptizamur, & in Christum credimus, ad hęc Christi bona intramus. Hic in Baptismo Christus incipit esse nostra iustitia, via, veritas & vita, Ioan. 14. Et sic vita nostra abscondita est in Christo Iesu, Colof. 3. Ab Adam accipimus & participes sumus iniustitiæ, peccati, atq; mortis æternę, in quo omnes peccauimus, Rom. 5. Adam, quia caput & radix peccati, ergo omnes eius fructus sunt mali & peccatores: At Deus pater statuit hoc mediū, vt qui cupit liberari à peccato primi parentis, is credat in filium suum Christum, quem idè dedit mūdo, vt omnis qui credit in illum, non pereat, Ioan. 3. Et ita fit, vt sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur, 1. Cor. 15. Vt igitur Adami hæreditatem, quod est peccatum, contraximus omnes ex prima natiuitate, sic in Baptismo, dum renascimur, participamus bona Christi: & idè Christus misit discipulos suos in mundum vniuersum, vt hoc vbiq; denunciarent Euangelium, id est, bonum nuncium, Marc. 16. Nam hęc est ordinatio diuina, quòd propter Christi iustitiā & mortem, nos vult reputare sanctos

sanctos & filios suos, modò nos, vt filios decet, exhibeamus nos erga patrem.

Postquam Christum in Baptismo induimus, tunc sequi Christum debemus: nam duo sunt, Christum induere, & Christum sequi: Induitio præcedat oportet: nam nemo rectè sequitur Christum, nisi primùm sit indutus Christo: Fides autem induit nobis Christum: sed obedientia præceptorum & boni fructus, ostèdunt quòd sequamur Christum. Nam sequi Christum, est facere iustitiã, veritatem, humilitatē, continentiam &c. Sic inquit Augustinus li. 3. de Trinitate, cap. 4. quòd passio Christi est nobis Sacramentum & exemplum: Sacramentum fidei scilicet, quòd credo pro me illum passum, Roman. 4. Exemplum, vt sequar eius vestigia, id est, patientiam, dilectionem, &c. sicut quoq; Petrus ait 1. Pet. 2. Christus pro nobis passus est, relinquēs nobis exemplū, vt sequamur vestigia eius. Sic igitur Christus sua nobis cōmunicat bona, sic sequi Christum debemus, & id facere proximo nostro, vt illum iuueamus verbo & facto, vt qui se permittat indui à proximo. vt illi velit ac faciat, sicut sibi cupit fieri, & hoc est præceptum Dei dilectionis, vt dilectio non sit simulata, Ro. 12. & non diligamus verbo vel lingua, sed opere & veritate, 1. Ioan. 3. Ergo qui adhuc in peccatis viuit, nec proximi miseretur, is nõdum verè induit Christum, nec etiã sequitur Christum, qui dicit, Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci &c. Io. 13. Ipse pro nobis orauit erga patrem, pro nobis tulit mortē & omnia sua nobis communicat: ergo illum sequi debemus, & hoc facere erga proximum. Ex quo patet, quòd nullū sanctorum possumus induere, præter solū Christum: nõ Petrum, non Paulū: sed benè sequi eos possumus & debemus, sicut dicit Apostol. 1. Cor. 11. Imitatores mei estote, &c. Nam etiã qui libet sanctorum indigni sit pro se induere Christum per Fidem, eiusq; iustitiam

partici-

parti-
nos p
& ali
cipio
actio
Christ
quam
& sic
us, m
prehe

1.
2.
3.
C
dn



tingit, c
facit au
stus ipse
tuus, vt
quàm si
vt Christ
est Dei m